



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 932. Quid possit Episcopus in locis exemptis quòad exercenda jurisdictionalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Episcopo non posse etiam visitari altaria Ecclesiarum regularium, quibus non incumbit cura animarum secularium, nec locos, ubi asservatur sanctissimum Sacramentum, aut ubi Confessiones secularium audiuntur, tradit apud Delb. n. 20. Barbof. l. c. sic quoque declaratum à S. Cong. dicens.

2. Resp. ad secundum: etiam visitari non possunt ab Episcopo, fundatore superstitente, loca pia ejus auctoritate non erecta, hoc tamen mortuo ea visitare potest ac videre, an fabricæ conserventur, bona deputata debite administrantur. Abb. in c. 3. h. t. n. 3. Fagn. in c. 4. h. t. n. 55. & 56. Pirh. h. t. n. 23. & 26. Reiffenst. n. 8. cum communi. Cum ad Episcopum spectat curare, ut hujusmodi pia defunctorum voluntates executioni mandentur juxta c. 17. de testam. Item potest Episcopus ab administratoribus locorum illorum rationes exigere, non quidem jure communi, sed ex decreto Conc. Trid. cit. c. 9. cum Decretum illud non restringatur ad causas à jure permisso, ut ad illos restringitur ab illo Decretum visitandi in cit. c. 8. sed loquatur generaliter & indistincte adeoque comprehendit casus à jure non permisso, excepto unico casu, dum nimirum in fundatione cautum est, ut Episcopus nequeat exigere rationes administrationis. Fagn. Pirh. LL. cit. juxta declarationem S. Cong. apud Gallemarr ad cit. c. 8. Trid. n. 2.

Quæst. 932. Quid possit Episcopus in locis exemptis quoad exercenda jurisdictionalia?

Resp. non potest in Monasteriis regularium sedere pro tribunali nec exercere actum aliquem jurisdictionis præter illos, qui expresse & in specie ei conceduntur, eò quod licet locus exemptus sit de diocesi & territorio Episcopi, locus tamen exemptus & locus extra territorium æquiparantur quoad jurisdictionem. Siquidem locus ille est quidem de territorio Episcopi quantum ad situm non autem quantum ad jurisdictionem Delb. c. 12. du. 1. f. 2. n. 13. Vide plura de hoc supra ubi de jurisdictione Episcopi.

Quæst. 933. Quid possit Episcopus circa immutationem status locorum Religiosorum?

Resp. locus proprie facit seu Religiosus (qualis jure canonico non est in quem corpus defuncti illatum remanet sepultum, nisi ad similes tumulationes deinceps auctoritate Episcopi deputatus (in usus alios, quam ad quos ex fundatione deputatus, præsertim profanos eadem auctoritate converti nequit, ut dictum supra ad lit. de testam. Unde Episcopalia (quæ & ipsa inter loca sacra numerantur ut Pirh. h. t. n. 22.) monasteria Ecclesiarum in habitacula secularium seu domos privatas ab eo converti non possunt. Neque etiam utensilia Ecclesiarum consecrata v. g. mappæ altaris ad usus profanos applicari possunt per c. 38. 39. 40. dist. 1. de consecrat. Quod si tamen hospitalia aliaque loca pia & religiosa ad certam peregrinorum, infirmorum aut aliarum personarum genus suscipiendum instituta & in loco, ubi sunt dicta hospitalia similes personæ, aut non nisi per paucæ reperiuntur, fructus illorum

ut verbotenus mandat Trid. sess. 25. de reform. c. 8. in alium pium usum, qui eorum institutioi proximior est, ac pro loco ac tempore utilior convertendi, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum peritiores, ab ipso deligendis magis expedire videbitur, Illud speciale circa monasteria jure statutum est, ut si aliquando ex quacunque causa deficiant aut religiosi inde discedere debeant sine spe post liminium redeundi, aut disciplina regularis in iis non vigeat, Episcopus nequeat illorum redditus suæ mensuræ incorporare, neque monasterium secularizare, seu in eo Clericos alios seculares ponere, aut in alias pias causas convertere. Sed debet illud aliis ejusdem Ordinis, & his deficientibus, alterius Religiosis inhabitandum tradere, & his quoque deficientibus, Clericis secularibus, qui quoad fieri potest, fundationi satisfaciant, illud concedere ita cum Hostiensis Abb. Jo-and. Fagn. in c. 5. h. t. Engelf. h. t. in fine. Reiffenst. h. t. n. 10. per textum & Gl. in idem c. & c. possessiones de reb. Eccl. non alien. aliud est de hospitalibus citra auctoritatem Episcopi ædificatis aliisque locis privata alicujus pietate deputatis ad peregrinos pauperes, infirmos suscipiendos. Hæc enim, tametsi, quam diu ædificans vel deputans illa ad hos pios usus stabiliter ea non fundavit, aut per donationem inter viros se ad id non obstrinxit, possint ab eo rursus in usus proprios aut alienos profanos converti, ut cum Abb. in cit. c. 4. h. t. n. 4. Pirh. n. 22. postquam autem ipse in hunc usum ea fundavit, aut per donationem mortis causâ in usus pauperum reliquit non revocata ante mortem hac sua donatione, nec ipse, dum vivit, ea amplius in suos usus, nec hæres ejus in usus profanos convertere potest; sed tenetur defuncti voluntatem exequi, & ad hoc ab Episcopo compelli potest; quia etiam hoc ipso non sint loca sacra seu religiosa, sunt tamen pia, & sic subiecta jurisdictioni Ecclesiarum. Ita Barb. in c. 4. h. t. n. 2. Garc. de benef. p. 5. c. 1. n. 603. Pirh. l. c.

Quæst. 934. Ecclesia sita in Diocesi Episcopi an & qualiter teneatur ei præstare jura Episcopalia?

Resp. Ecclesia sita in diocesi Episcopi tenetur eidem præstare omnia jura Episcopi (quæ qualia sint, dictum est alibi) etiam si ea jure incorporationis aut patronatus possideatur à quibuscunque religiosis, nisi legitime fuerit à juribus illis exempta, ut constat ex c. 6. h. t. & ibid. Gl. & Abb. ibidem n. 1. Pirh. h. t. n. 6. Potest tamen Episcopus tali Ecclesiarum privilegium exemptionis à talibus juribus concedere, saltem si Papa ex certa scientia id confirmaverit. Gl. in cit. c. 6 V. à quocunque & V. confirmavit. Abb. ibidem n. 10. Pirh. n. 7. concedendo verò hanc exemptionem, potest reservare sibi pensionem aliquam seu censum annuum sine vitio simoniæ; cum non accipiat in compensationem concessæ exemptionis aut spiritualis jurisdictionis, sed in signum præteritæ subjectionis & beneficii accepti juxta cit. c. 6. & Gl. ibidem V. recompensationem & Abb. n. 17. modò tamen census reservatus non fuerit magna & notabilis quantitatis, cum tunc censetur potius acceptus in recompensationem juri-um Episcopali-um spiritualium, adeoque foret contractus simoniacus, ut Abb. & Pirh. LL. cit. Arg. c. 18. de simon.